



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

8 Regum omnium potentia ab Imperio fluxerunt, tanquam rivuli, à flumine.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

cudes eas acquireret, quarum curam, tum Petro, tum Petri successoribus committebat, & S. Leo *sermon. 2, de anniversario Assumptionis sue ad Pontificatum*, manet, ut, dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine Petre perseverans suscepta Ecclesie gubernacula non reliquit, perseverat vicelicet Petrus, & vivit in successoribus suis.

Nullus enim est, nec fuit unquam, qui se Petri successorem asseruerit, vel pro tali sit habitus, prater Rom. Pontif. & cum Christus instituerit in Petro Pontificatum duraturum usque ad finem mundi; pro pecudibus perpetuo pascendis constat. Papam Petri successorem esse, *cap. manet, capitulo quodcumque, 24, quest. 1.*

Romanum Pontificem Petro succedere in Ecclesiastica Monarchia, tam ex divino jure, quam ratione successionis Conciliorum auctoritate Summorum Pontificum Græcorum, & Latinorum patrum, aliorumque testimoniis, & auctoritatibus, probat idem Cardin. Bellar. *de Rom. Pont. eodem tomo, lib. 2, cap. 12, 13, & usque ad cap. 22, & quamvis in cap. ego Ludovicus, 63, distinct.* ab eodem Ludovico Romanorum Imperatore appelletur Vicarius Petri, ea appellatio est impropria, vel ita intelligenda, quod exercet eandem Vicariam, quam Petrus, ut *per gloss. in clement. unic. in ver. Vicarium, de jure jur. & Navar. in comm. de lobel. & indulg. 29, not. num. 1, tom 3.*

† Et est Ordinarius Ordinarium, & totius orbis, cum totus Mundus Papæ sit territorium, *capitul. cuncta per mundum, capitul. per principalem, 9, quest. 3, & Abb. in cap. final. num. 45, de form. comp. & om-*

nes eidem parere, † ipsumque in Primatum recognoscere debent, *cap. omnes, cap. sacrosancta, & cap. de Constantinopolitana, 22, dist.*

Licet enim Carolo Magno, qui ad defendendas res Ecclesie postulatus, Desiderium Regem, Sedis Apostolicæ hostem captivum fecit, illiusque exercitum debellavit, & Sedem Apostolicam liberavit, unde victoriosissimus Romam accessit, ubi ab Adriano Papa † hujus nominis primo, honorifice susceptus, ab eodem cum universa Synodo jus, & potestas eligendi Pontificem, & Sedem Apostolicam ordinandi, Archiepiscoposque, & Episcopos investendi ei videatur concessa, ut *cap. Adrianus 2, 63, distinct.* quam Leo VIII.

† Othoni primo Regi Theutonicorum, ejusque successoribus confirmavit, & corroboravit, ut *in capit. in synodo eadem distinct.* & Reges omnes Imperio subessent, cum omnium Regum potentia † ab Imperio fluxerint, tamquam rivuli, à flumine, *gloss. penult. in dict. cap. Adrianus, cap. in apibus, 7, quest. 1, Abb. in cap. venerabilem, num. 19, ver. ex qua collige de elect. & in consil. 82, num. 4, vers. nam apud Imperatorem, volum. 1, Jas. in l. 1, num. 6, & 8, C. de summ. Trinitat. & fid. Cathol. Oldrad. consil. 69, num. 1, & universæ ditioni præsit, quæ ascendentem, & descendentem solem videt in genere suo, Auct. ut om. obed. judic. provinc. §, hæc considerantes, colum. 5, & Pupur. in rubrica, de jurisdic. omnium judic. numer. 5, & num. 6.*

Tamen Adrianus, ac Leo Imperatori concesserunt, ut Roman. Eccles. ordinaret, quo ad temporalem Principatum, qui est sub regimine Imperatoris, ut *d. cap.*

nos si, §, sed notandum, & duo illa privilegia Imperatori concessi ob frequentia schismata, quæ tunc erant, & propter frequentes hostes Longobardos, & Græcos, qui Ecclesiam Romanam assidue vexabant, ut per Card. Alban. in tract. de potest. Pap. par. 2. num. 214 tom. 13, causis illis cessantibus, revocata fuerunt, ut per gloss. in dict. cap. in Synodo, in ver. affici, 63, distinct. plenè Bero. in rubric. de jure patron. num. 23, & num. 24, & Bellarm. de Rom. Pontif. tom. 1, lib. 2, cap. 29, ad sext.

9 Non enim Papa † Imperatorem sibi judicem facere potest, quia irrogaretur injuria Deo, si Vicarius suus judicaretur à laico, Abb. in cap. Ecclesia S. Maria, num. 7, & Felin. num. 9, de const.

Papa verò à solo Deo judicatur, capit. Anastasius, 19, distinct. quoniam innocentiam suam soli Deo ostendere tenetur, cap. aliorum, cap. favor subditorum, cap. ipsi sunt, capitul. cuncta per mundum, 9, quest. 3, & Card. Abb. in eodem tractat. de potest. Pap. par. 1, num. 9, & 109, & hanc veram conclusionem post plures alios per ipsum citatos, novem rationibus probat, Joan. à Capist. in tractat. de auctoritat. Pap. 2, par. princip. sub num. 35, & sequ. cum in Terris non habeat Superiorem, nec præterea possit fieri vasallus Imperatoris, aut alicujus Regis, dict. cap. cuncta per mundum, cap. licet, in fin. de elect. Clemen. ne Romani, eod. tit. Paris. cons. §, num. 77, & 78, volum. 4, Dec. in dict. cap. Ecclesia Sancta Maria, num. 62, & 63, de constitut. Jal. in dict. l. est receptum, numer. 3, de jurisdict. omn. judic. & Navar. in capit. novit, 3, not. num. 7, de judic. tom. 3.

10 Præterea non solum Papa, sed nec clericus, etiam cum juramento, judicio laici

se submittere potest, cap. at si clericus, de jud. cap. si diligenti, & cap. significasti, de for. compet. quia clerici privilegium fori habent à Deo, cap. si Imperator, ubi gloss. in cap. quamquam, in verb. divino, de cens. in 6, Innocen. in cap. 2, num. 1, de major. & obed. Abb. in dict. cap. at si clericus, num. 25, de jud. & Oldrad. consil. 83, num. 7, & cum dictum privilegium jus publicum tribuat, consensu privatorum juri publico derogari non potest, dict. cap. si diligenti, & ibi Abb. num. 3, & Felin. in dict. cap. Ecclesia Sancta Maria, num. 6.

11 Papa est iudex omnium non recognoscendum superiorem. c. novit, ubi etiam Abb. num. 15, & Felin. num. 4, de judic. Et quòd dicitur potestas per Adrianum, & Leonem Regibus concessa, fuerit revocata, probat text. in cap. quia, §, verum dict. 63, distinct. & Abb. in cap. venerabilem, num. 18, in fin. de elect. cum aliis supra deductis.

12 Successores † verò debent facta, & instituta prædecessorum, etiam bona, mutare, si ita videretur expedire, cap. quia sancta, §, verum quia, ver. ut si nonnulli, & ibi gloss. in verb. destruantur, 63, distinct. Quinimò & ipsimet Reges, † & Imperatores non solum Federicus secundus Imperator, ut si scripserunt iidem auctores, sed etiam Carolus, & Ludovicus Imperatores, & Gallorum Reges, ac etiam Henricus Primus, & Otho pariter primus illi postea renunciaverunt, licet juri non suo, cap. cum Adrianus, cap. Ego Ludovicus, cap. constitutio, cap. tibi Domino, cap. sacrorum, §, ex his, & gloss. in cap. in synodo, in verb. affici, eadem 63, distinct. & Navar. in com. rub. de jud. num. 70, tom. 2, qui verò juri suo renun-